

quisque habeat bene correctum^a, ut sciat illum veraciter et distincte proferre.

Cap. XXI. Si quando ordines ecclesiasticos facturum sumus, ante VII dies adducant singuli presbyteri eos, quos in ecclesia sua ordinari voluerint, ut possimus vitam et intellectum illorum discutere et sic valeant ad sacros ordines promoveri. Nam in uno vel duobus diebus non possumus discussionem in tanta multitudo facere. Si autem aliter fecerint, sciant illos, quos adduxerint, nullo modo a nobis ordinari.

Cap. XXII. Ut incantationes magicas vel maleficia nec ipsi exerceant nec alios exercere permittant. Ita enim scriptum est in concilio Laodicensi cap. XXXVI: 'Eos¹, (fol. 134) qui incantationibus vel maleficiis deserviunt, ab ecclesia pelli praecipimus', et sanctus Gregorius in XII.^b cap. constitutionum suarum: 'Si² quis ariolos, aruspices vel incantationes observaverit, anathema sit'.

Cap. XXIII. Ut ebrietatis malum et ipsi caveant et alios cavere praemoneant, scientes scriptum, quia *'ebriosi³ regnum Dei non consequentur'*.

Cap. XXIII. Ut usuras ab omnibus fieri prohibeant, sed et ipsi facere caveant. Scriptum quippe est in psalmo: *'Domine⁴, quis habitabit in tabernaculo tuo?'*, et post pauca: *'Qui⁵ pecuniam suam non dedit ad usuram'*, et in XVII. cap. Niceni concilii: *'Si⁶ quis clericus inventus fuerit usuras accipiens turpis lucris gratia, deiciatur a clero et alienus existat a regula'*.

Cap. XXV. Ut mulieres infantes suos secum dormire non permittant, ne forte — quod frequenter contigit — insidiante diabolo suffocentur.

Cap. XXVI. Ut iuramenta, que fiunt in nomine Christi et sanctorum eius, et ipsi vitent et alios vitare praemoneant. Nam et Dominus hoc prohibet in evangelio⁷ et sanctus Iacobus in epistola sua dicit: *'Ante⁸ omnia, fratres, nolite⁹ iurare neque per caelum neque per terram neque per aliud iuramentum. Sit autem sermo vester (fol. 134') est est, non non; quod enim amplius est a malo est'*.

a) correptum c. b) VII. c. c) nolite c.

1) Mansi II, 580. 2) Concilium Romanum 721 c. 12, Mansi XII, 264. 3) Vgl. 1. Corinth. 6, 10. 4) Psalm. 14, 1. 5) Ibid. 5. 6) Mansi II, 681. 7) Vgl. Matth. 5, 34—37. 8) Jacob. 5, 12; vgl. Matth. 5, 37.